



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sortes, Qvibvs, Ne Temere Cadant, Temperandis; Vel, Si
Temere Dvcvntvr, Castigandis, Divini Ivdicii Æqvitas
Semper Adest**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 3. Mortem vita fuisse gratiorem testati sunt unus à Mutio abbate, &
alter à S. Fortunato Episcopo in vitam reuocatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52306)

rissimo fratri, soror sorori, vxori maritus, vel marito vxor, aut alius amicus amico dilectissimo & desiderare, & precari? cum hoc fit, illi precari, pro terra cælum, pro miseria felicitatem.

S. III.

Mortem vita fuisse gratiorem, testati sunt vnus a Mutio Abbate, & alter a S. Fortunato Episcopo in vitam reuocatus.

Neque opinandum est, id alterum nolle, si Deum atque æterna seridò amet; cum etiam ingratum fuerit ijs, qui iam defuncti erant, ad vitam reuocari. Narrat Ruffinus, Mutium miræ sanctitatis Abbatem, vt ad discipulum moriturum longè absentem posset peruenire, solem, instar Iosue, stitisse. *cùmq; inuenisset eum iam defunctum, oratione facta, osculatus est eum, & ait: Quid magis desiderij habes frater, abire & esse cum Christo, an permanere in carne? Tunc ille, recuperato spiritu, paululum resedit, & ait ad eum: Quid me reuocas Pater? Melius est mihi redire, & esse cum Christo; permanere autem in carne mihi necessarium non est. Cui dixit: Dormi ergo in pace, fili, & ora pro me. At ille continuo reclinans se in lectulo obdormiuit. Pari modo Marcellum S. Fortunati Episcopo-*

Ruffinus
in Vitis
Patr. lib.
2. c. 9.

piscopi Tudertini precibus à morte fuscitatum memorat D. Gregorius, ingemuisse, & dixisse: *O quid fecisti? ô quid fecisti?* Neq; aliter ad vitam reductus ingemuit S. Saluius Episcopus, vt copiosè refert Gregorius Turonensis. Eiuscemodi exempla extant complura, è quibus constat, Deum amantibus mortē vitā fuisse gratiorem; idq; non tantum, quia, per mortem, hac vitæ molestia liberatis, ad pacem ac quietem via est, qui esset amor cōcupiscentiæ; sed præcipuè, quia corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, vt non ita possit cælestia cogitare, sed ad corporis necessitates & concupiscentias deprimatur; in cælo autem his vinculis libera Deum purè & continuo potest amare; qui est amicitia amor. Ob quem etiam, si necesse est, sancti parati sunt, diutius inter homines, propter homines iuuandos, vitam trahere. Vnde, teste Possidonio, laudare solebat S. Augustinus sententiam S. Ambrosij è vita discessuri, qua suis flentibus ac rogantibus, vt à Deo longiorem posceret vitam, respondit: *Non sic vixi, vt pudeat me, inter vos, viuere: sed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus.* Nempe, ad vtrumq; paratus, noluit vitam pro-

S. Greg.

l. 1. dial.

c. 2.

S. Greg.

Turon.

lib. 7.

Franc.

Possidon.

in vita S.

Augusti-

ni. c. 27.

prorogare, ut eam, cum meliore vita, commutaret.

§. IV.

Nulli iniuriam fieri, si ad mortalem vitam reuocetur; cum id ei prodesse possit.

Luc. 8. 5.

Luc. 7. 11.

Joan. 11.

43.

Matth.

27. 53.

Neque idcirco putandus est Christus vel iniuriam, vel molestiam intulisse ijs, quos à morte ad vitam excitauit; ut cum Iairo principi Synagogæ filiam, & viduæ filium, ante ciuitatem Naim; ac sororibus fratrem Lazarum; illam domi & de lecto; illum foris, & de capulo; istum in campis, & de sepulchro reddidit: item quando *monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* Tunc animæ horum excitatorum nondum Dei visione fruebantur, facile igitur vel è limbo Patrum, vel è Purgatorio, se ad corpus retrahi passæ sunt, ut vel hîc satisfacere, vel merita sua possent accumulare. Quod etiã de ijs, qui in veteri Testamento, reuixerunt, dici potest; & de ijs quoq;, quos alij sancti, in nouo Testamento, precibus denuò animauerunt. Certè, quos constat, è Purgatorio rediisse, libenter, in hac vita longis annis varios labores ac cruciatus sustinuerunt, ut poenas alterius vitæ exhaurirent. Nulli callo addi
 & i